

/ Admodum Reverende Pater. Dominus Antonius Pazesius monachus Caelestinus Gallus longissimo morbo laboravit; atque ea causa est, cur non statim ex Italia in Galliam redierit. Nunc demum morbo recreatus venit, paratus obedientiae iugum volenti animo subire.

5 Scripsit ad me litteras in hac mea inclusas, quas mitto ad Rev. Paternitatem Vestram, quia non mihi constat, an iusta sint, quae petit; rogo autem Paternitatem vestram, ut benignam se exhibeat erga istum filium suum, ut caeteri animentur. Et si pater filii prodigi, secundum evangelium, ita liberaliter excepit eum, qui dissipaverat
10 omnia bona sua vivendo luxuriose, ut iuberet dari illi stolam primam, et anulum pretiosum, et occidi vitulum saginatum; quanto magis convenit Paternitati vestrae filium suum, qui auxit bona sua, cum et sacerdotio, et doctrina ornatus redeat, benigne excipere, et locum professionis illi conservare, et permittere, ut sacerdotio
15 fungi possit? Commendo igitur illum eo affectu, quo possum maximo, et Reverendae Paternitati Vestrae a Deo precor omnia prospera.
Romae die 9 Martii 1610.
